

S. AMBROSII,

EPISCOPI MEDIOLANENSIS, OFFICIORUM LIBER PRIMUS.

EPISCOPI PROPRIUM MUNUS, DOCERE POPULUM. *

Non arrogans videri arbitror, si inter filios suscipiam affectum docendi, cum ipse humilitatis magister dixerit: Venite, filii, audite me: timorem Domini docebo vos. In quo¹⁾ licet et humilitatem verecundiae ejus spectare et gratiam. Dicendo enim, timorem Domini, qui communis videtur esse omnibus, expressit insigne documentum verecundiae. Et tamen cum ipse timor initium sapientiae sit, et effector beatitudinis (quoniam timentes Deum beati sunt) praeceptorem se sapientiae edocendae, et demonstratorem beatitudinis adipiscendae, evidenter significavit. Et nos ergo ad imitandam verecundiam seduli, ad conferendam gratiam non usurpatores, quae illi Spiritus infudit sapientiae, ea per illum nobis manifestata, et visu comperta atque exemplo, vobis quasi liberis tradimus; cum jam effugere non possimus officium docendi, quod nobis refugientibus imposuit sacerdotii necessitudo. Dedit enim Deus quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores²⁾ et Doctores. Non igitur mihi Apostolorum gloriam vindico. Quis enim hoc, nisi quos ipse Filius elegit Dei? Non Prophetarum gratiam, non virtutem Evangelistarum, non Pastorum circonspectionem: sed tantummodo intentionem et diligentiam circa Scripturas divinas opto assequi, quam ultimam posuit Apostolus inter officia sanctorum: et hanc ipsam, ut docendi studio, possim discere. Unus enim verus Magister est, qui

* Ed. Basil. 1567. T. I. 33.

1) Psal. 33. 2) Ephes. 4.